



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 7. An possit fieri per ea, quæ necessariò patimur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

Ed dices, Si omnis actus virtutis satisfactorius est, cur à Theologis, supra citatis tres tantum actus satisfactorij numerantur, oratio, elemosyna, ieiunium? Respondetur, certum esse non ita numerari hæc tria opera in rigore ac proprie sumpta, quin aliis etiam satisfacere possimus, vnde Concilium Tridentinum sess. 14. ca. 13. leuitis, inquit, orationibus, & elemosynis vel aliis pietatis operibus nos posse satisfacere. Duobus ergo modis possunt hæc tria opera explicari, primo proprie, vt significant tres speciales actus virtutis, & si hoc modo intelligantur non ideo illis tribuitur satisfactio, quia illis solis exhiberi possit, sed quasi per anonomasiam, quia sunt opera aptissima ad satisfactionem, sunt enim poenalia, & facile veniunt in vsum hominum. Secundo, vt virtute continent cætera opera satisfactoria, primo quidem quia complectuntur bona omnia quæ homo potest offerre in satisfactioe, scilicet bona externa & fortunæ per elemosynam, per ieiunium vero bona corporis, bona vero spiritus per orationem & eleuationem mentis in Deum. Vel aliter, quia satisfactio fit per poenam, quæ in alienius boni priuatione consistit, per elemosynam autem priuatur quis bono vili corpori, per ieiunium bono delectabili, priuatur autem bono honesto, cum bonum non sit: non potest habere rationem poenæ voluntarie assumptæ, sed potius illud acquirere bonum est, & quatenus est poenale potest esse satisfactorium, & hoc bonum maxime per orationem acquiritur, ideo inter actiones satisfactorias merito numeratur. Vel denique sicut homo peccando, & seipsum lædit, & Deum offendit, & proximum, ita recte satisfacit per ieiunium, quo se castigat, & elemosynam, qua subuenit proximo, & orationem, qua Deum honorat. Tandem si hæc opera poenitentia considerentur, vt medicina in futurum præferuans, per hæc tria moderatur homo tres radices peccatorum, per elemosynam concupiscentiam oculorum, seu rerum exteriarum, per ieiunium concupiscentiam carnis, per orationem, qua se Deo submittit, superbiam vitæ. Alia de hac diuisione dicta sunt supra disputando de actu exteriori Poenitentia.

Vltimo ex dictis intelligitur, an per quodlibet opus poenale possit pro quolibet peccato satisfieri: an vero distincta peccata distinctam satisfactioe exigant. Dicendum est enim, si satisfactio consideretur, vt medicina præferuans, & curans, & expellens vitia, hoc modo diuersam satisfactioe diuersa peccata exigere: quia contraria vitia contrariis virtutibus expelli debent, quantum quædam sint remedia omnibus communia, vt sunt oratio, amor, vel timor, & in vniuersum omnia opera, quæ ad impetrandam diuinam gratiam ordinantur. Ac proprie loquedo de satisfactioe, vt est poenæ solutio, quodlibet opus poenale aptum est ad satisfaciendum pro poena cuiuslibet peccato debita, non quod in quantitate semper sit æquale, sæpe enim peccatum maiorem poenam meretur, quam per vnum, vel alium actum virtutis persoluitur, sed quod qualibet species poenæ sufficiat, & consequenter quod multiplicando actus possit tota poena cuiusque peccati compensari. Ratio est, quia Deus non distribuit, nec designauit quosdam actus ad satisfaciendum pro quibusdam peccatis, & alios pro aliis, sed generatim exigit pro peccatis, virtutis, ac satisfactioe opera. Itæ quia per hæc satisfactioe potissimum inenditur diuinus honor, & bonum anime ipsius peccatoris, vtrumque autem comparatur per quamlibet honestam poenam. Denique quia, sicut eadem contributio possunt omnes culpæ deleri, ita eadem honesta poena potest pro quolibet peccato satisfieri. Nec refert, quod in purgatorio diuersis peccatis diuersæ poenæ fortasse respondeant, quia ibi fit solutio per modum satisfactioe, & ideo redditur omnino illa poena, quæ peccato assignata est, & accommodata: hic autem per

modum satisfactioe, & velut redemptionis, & ideo redimi potest precibus, veita dicam, seu poenis, quæ licet in se diuersarum rationum sint, valorem tamen habent ad persoluendam, seu redimendam illam poenam.

SECTIO VII.

Vtrum per passiones, seu poenas, quas quis necessario patitur, possit Deo satisfacere.

Concilium Tridentinum sess. 14. c. 9. sic definit, Docet præterea tantam esse diuine munificentie largitatem, vt non solum poenis sponte à nobis pro vindicando peccato suscipi, sed etiam spiritalibus flagellis à Deo infligi, & à nobis patienter tolerari apud Deum Patrem per Christum satis facere valeamus. Vnde fit simpliciter de fide esse, nos posse satisfacere per hæc flagella: modus autem sub opinione est.

Prima opinio dicit, posse nos per ea satisfacere, si tamen mereri ea patienter, & voluntarie acceptando, ita tamen vt tota satisfactio fit in voluntate interiori, quæ hæc acceptantur, & exterior poenam nihil satisfactioe addat: vnde si duo ita se habeant, vt alter id patitur, & bona voluntate illa accipit, alter vero æquali omnino voluntate illa amet, vel desideret, nihil tamen patitur, iuxta sententiam hanc, nihil magis vnus quam alter satisfacit. Hoc asserit Richard. dist. 11. artic. 1. quæst. 4. Gabr. 16. quæst. 2. ar. 3. dub. 1. Fundamentum illorum est, quia satisfactio debet fieri per aliquam actionem humanam elicita, vel imperata: hæc autem flagella, quæ non sunt in nostra potestate, sunt passiones, non vero actiones nostræ, vnde ista flagella solum sunt voluntaria, vt obiecta nostræ voluntatis, non vero vt actus.

Secunda sententia est, in his flagellis duo posse considerari scilicet, internam patientiam & patientiam externam: per priorem remitti poenas tanquam per satisfactioe propriam, per posteriorem vero id est, per ista flagella secundum se remitti, seu solui poenam purgatorij, non per modum satisfactioe, sed per modum vindictæ, & punitionis ab ipso iudice Deo illata, quæ hæc ratione satisfactioe dici possunt. Hanc sententiam tuetur Medin. tractatu tertio, quæstione quinta in fine primi dubij. Vnde, vt hæc poena cadat in solutum (ita enim ipse supra loquitur) non videtur requirere hic auctor aliquem internum voluntatis actum, seu liberam cooperationem aliquam patientia, sed solum vt quis exteriorius etiam inuitus, patitur: quia de ratione poenæ indicatur à iudice infligta non est actio, sed passio.

Tertia opinio distinctione vitur, duplex enim potest esse huiusmodi poena, prima proueniens ex causis generalibus, naturalibus, aut liberis, absque speciali vltione diuina, & ægritudines, bella, & famines, & in vniuersum, quidquid ab hominibus patimur, siue iuste vt à iudice, siue iniuste ab inimico, &c. Secunda specialis imposita à Deo in poenam peccati, vt mors filij Dauid, &c. Prior non habet rationem satisfactioe, cum non sit actio humana patientis, hæc satisfactioe, cum non sit à iudice infligta per modum vindictæ, vt ita non remittit poenam, nisi ratione actus interni, vt prima opinio dicebat: posterior autem, licet proprie satisfactio non sit, remittit tamen poenam per modum iustæ vltionis. Ita docet Soto distinctione decimanona, quæstione secunda, articulo secundo, qui consequenter infert hanc passionem remittere poenam, etiam sine actu libero patientis, dummodo ille in gratia sit. Quinimo addit, licet resistat, & inuoluntariæ ac impatieter flagellum suscipiat, dummodo in eo non

Andr. quodlibet opus poenale possit satisfieri pro quolibet peccato.

Trident.

Prima opinio.

Rich. Gabr.

Secunda opinio.

Medin.

Tertia opinio.

Soto.

non

Ledesm.

Concl. 1.

D Thom. Syluest. Viti. Nauar.

Paul. Corint. 3. August. Gregor. Chrysol. Hieron.

Conclusio probatur ratione.

non peccet mortaliter, etiam si peccet venialiter, nihilominus aliquid remitti per illam poenam de poena purgatorij, quod tamen simpliciter affirmare non audeat, affirmat autem Ledesm. a. part. quæst. 14. artic. 2. & videtur consequenter loqui, quia hæc poena non pendet ex voluntate operantis, sed ex iudicis lege, & intentione.

Dico primo, qui voluntarie suscipit poenam ab extrinseco illatam propter Deum, satisfacit pro peccatis, non solum ratione actus interioris, sed etiam per se ac formaliter per ipsam exteriorem passionem seu poenam. Hæc est, ut existimo, sententia Diui Th. 4. distinctione decima quinta, questione prima articulo quarto, questione 2. Syluest. verb. Satisfactio, questione nona. Victor in Summ. numero 207. Nauar. in Summ. capite tertio, numero quarto. Et primo multum illi fauet Concilium Tridentinum, quod non satis de solo actu interno explicatur: tum quia ita dicit, nos satisfacere per hæc flagella, sicut per ieiunia, & alia opera voluntarie sumpta: tum etiam, quia alias non proprie diceremur satisfacere his flagellis, si tantum essent obiecta illius actus per quem satisfacimus: alias dicere etiam potuisset, nos satisfacere per beneficia, gratias enim pro illis agendo, satisfacimus, sicut etiam orando, vel petendo illa, unde tam possemus satisfacere petendo, vt flagella tollerantur, quam ea patienter sustinendo.

Secundo id sentiunt Sancti Patres, dum docent, per hæc flagella purgare Deum iustos in hac vita, sicut per ignem purgatorij purgat in alia: & ad hoc accommodant verba illa in ad Corin. 3. saluus eris sic tamen quasi per ignem. Sic Augustinus de fide & operibus c. 15. & 16. & in Enchr. c. 68. Greg. ho. 39. Chrysol. hom. 5. ad Hebr. Quia bonus (inquit) non potest in omnibus bonus esse, ideo hic punitur, vt purgatus exeat, Hieron. Nahum, primo, circa illa verba. Non insurget duplex tribulatio, seu, Non iudicabit Deus bis in idipsum, propter hanc causam dicit, Deum non punire in futura vita, quem in hac punit: habetur in cap. Quid ergo, 23. quæst. 5.

Tertio ratione probatur, quia licet ab extrinseco patiat homo hanc poenam, dum tamen eam voluntarie suscipit, & offert Deo, moraliter facit eam suam: ergo satis est vt per illam satisfaciat: sicut, qui ab alio suscipit pecuniam, & illam Deo offert in cultum religiosum, per illam satisfacit. Probatur consequentia, qui valor satisfactionis non consistit in hoc, quod ipse dolor, seu poena à nobis veluti actione physica fiat, sed multo magis in hoc, quod propter Deum sustineatur, & voluntarie illi offeratur: ergo idem fiet in his flagellis, vt per illa satisfaciam: quia moraliter non minus graue est sustinere flagella extrinsecus illata, quam à se. Et hæc veritas confirmatur exemplo Christi Domini, & passionum eius: ait enim Concilium Trid. Quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris seruis fecit, conformes efficitur: ac vero Christus per passionem suam extrinsecus illatas ita satisfecit, vt non solum interior actus, quo illas acceptabat, & offerebat Patri, sed etiam ipsi dolores, & poenæ corporales essent satisfactoriæ, etiam si Christus non illas in se efficeret, sed ab aliis illatas sustineret: ergo simili modo nos satisfacimus per flagella.

Vnde fit, ceteris paribus, plus satisfacere qui maiorem poenam patitur, cum ipsa etiam ad satisfaciendum conducat. Fit etiam hinc magis satisfacere, qui patitur vt innocens, quam qui vt malefactor, etiam si ipsa poena sit æqualis: tum, quia habet maiorem in proportionem, & ideo maiorem rationem malitum quia fieri potest, vt plus satisfaciatur quis per hæc poenam toleratam, quam per spore assumptam: quia licet poena ex ea parte, qua est magis voluntaria, magisque propria, magis satisfaciua sit, tamen ex parte difficultatis, quæ est in sustinendis passionibus extrinsecus aduenientibus; multum excedere potest

A hæc poena tolerata: praesertim si cum illa aliqua iniuria coniuncta sit.

Dico secundo, Hæc satisfactio non fit solum per flagella ad eum finem à Deo immissa, sed per omnia, quæcumque illa sint, & ex quibuscumque causis proueniunt, si prædicta voluntate suscipiantur. Hæc conclusio est eorumdem Doctorum, vt existimo: quia vel generaliter loquuntur, & nihil distinguunt, vel aperte indicant, vt D. Thom. supra, & Victor. Nauar. qui exempli ponunt in ægritudine quacunque: Concilium etiam Trident. & Patres indefinite loquuntur. Et ratio est, quia hæc omnia flagella potest homo facere moraliter sua, sed non alia ratione per hæc satisfaci, vt explicatum est, & infra euidentius constabit: ostendemus enim, hominem non satisfacere per hæc flagella, vt ab extrinseco tantum inferuntur, sed vt aut aliquo modo ab intrinseco, moraliter loquendo. Et confirmatur primo: quia omnia hæc flagella proueniunt ex diuina prouidentia, & saltem generali intentione per ea intendit, vt exerceamur, & purgemur à vitiis, & reatibus peccatorum, vt Sancti supra citati docent: ergo si homo illis recte vtatur, per illa etiam purgabitur. Confirmabitur secundo, quia vix potest homo, nisi ex speciali reuelatione discernere, ex quo genere diuinæ prouidentie hæc poenæ proueniunt. Item, etiam per eas poenas, quas homines patiuntur propter sua delicta ab aliis hominibus, si supra dicto modo in Deum referantur, satisfaciunt: ergo non est expectanda illa specialis Dei intentio, quæ sepe rara est, & nobis incognita. Et ex probationibus harum conclusionum satisfactum est fundamentis aliarum opinionum, quatenus his conclusionibus contra esse possunt.

Dico tertio, Nulla flagella huius vite, quacunque ratione à Deo inferantur, sunt satisfactoria, nisi per honestam voluntatem acceptentur, & aliquo modo in Deum referantur. Hæc videtur aperta sententia S. Thom. Rich. & Gabr. Et videtur colligi ex Tridentino vbi supra: nam in primis, vt hæc flagella sint satisfactoria, requiritur vt patienter tolerantur: deinde docet habere hanc vim ex Christi merito, & satisfactione. Quod non potest intelligi ex opere operato, vt per se constat: quia hæc flagella, nec sunt sacramenta, nec habent speciale privilegium extra martyrium: ergo esse debet ex merito, seu satisfactione operantis, ad quod necesse est, vt operetur tanquam Christi membrum: ergo necessaria est aliqua actio humana, & honesta ipsius operantis, quæ acceptet huiusmodi flagella, & ea moraliter coniungat cum Christi satisfactione. Vnde solutio poenæ, quæ fit in purgatorio, quia fit per meram satisfactionem, non nititur proprie meritis Christi. Præterea, Sancti omnes, qui de his poenis, seu flagellis loquuntur, ita hortantur homines, vt patienter, & voluntarie illa sustineant, vt plane significent omnem amitti fructum, si hæc voluntas absit.

Ratione denique argumentor: Primo, quia, vt supra dicebamus, & eleganter tractat August. 2. de peccatorum meritis, ca. 16. & 34. Hæc satisfactio, & poena, quam Deus exigit pro peccatis, non tam ordinatur ad aliorum exemplum, quam ad emendationem poenitentis, & diuinum honorem: ergo requirit salutem voluntariam acceptationem ipsius poenitentis: & ideo etiam in purgatorio hæc requiritur, saltem vt conditio, quæ non est (vt ita dicam) quasi civilis punitio, sed veluti spiritualis castigatio, animam purificans morali modo, qui modus sine consensu voluntatis vix intelligi potest. Secundo, quia si tota remissionis poena consisteret in passione, etiam si homo non esset in gratia, vel etiam si peccaret per voluntatem resistendo, nihilominus remissionem poenæ obtineret, quod absurdissimum est: & si hoc semel concedatur in peccato veniali, idem ferè sequitur in mortalibus. Tertio, ratio propria est, quia passio huius vite non

est comparabilis, nec proportionem habet cu pena purgatorij ergo non erit sufficiens ad remittendam illam, nisi ex dignitate, vel voluntate patientis habeat valorem moralem, vt hac ratione possit esse veluti precium sufficiens ad redimendam illam poenam.

12. *Obiect.* Sed contra, nam D. Tho. supra dicit flagella impatienter suscepta, no habere rationem satisfactio- nis, sed vindictae, at vero vindicta videtur esse satisfactio. Respondetur, propriam diuinam vindictam dici: quando quis sine fructu patitur, quomodo Deus sumit vindictam de damnatis, vel de aliis ini- quis, quos punire dicitur poena iniuncta. Ita fere Ant. 3. p. tit. 14. cap. 20.

13. *Solutio.* Sed quares, si necessaria est voluntas vt hae passio exterior sit fructuosa, quando durabit hic fructus? an solum quando durat actus interior voluntatis? videtur enim hoc sequi ex dictis, quia solum eo tempore illa passio est voluntaria & libera, qua cum non procedat ab actu voluntatis, sed solum sit veluti obiectum eius cessante actu, illa passio non erit voluntaria. Et confirmatur, quia alias etiam dormiens satisfaceret per iniuriam extrinsecus illatam, si habuit prius animum, & voluntatem sustinendi totam illam iniuriam; hoc autem non videtur verisimile. In contrarium vero est, quia durum est asserere, eum, qui graues penas patitur, non satisfacere, nisi dum actu acceptat illas penas. Respondetur, vix posse hoc a nobis diiudicari, sed diuini prudentiae, & ordinationi esse committendum. Videtur tamen verisimile, non esse necessarium, vt interior actus continenter duret physice, sed satis esse vt moraliter durare censeatur; iudicabitur vero durare moraliter, quando & actus cecidit in tota illam passionem, quam homo humano modo sentit, & patitur, quamvis ex vi illius actus patienter sustinet nec repugnat, aut obmurmurat: denique, quando prior voluntas non est per contrarium actum retrahata, & eius virtus adhuc moraliter durat, vt ex dictis effectibus colligitur.

14. *Alind de bito.* Vltimo ex dictis expenditur dubium, in quo Soto, Victor, & Ledesma inter se dissentiunt, scilicet, quando Deus specialiter punit in hac vita aliquem iustum pro peccato, an hoc ipso omnino liberet a tota poena, quae illi peccato in purgatorio designata est. Victoria enim, & Ledesma affirmant, Soto vero contradicit, & merito, quia potest interdum illa poena non esse aequalis, vt si sit breuis, & remissa. Vnde de hoc est speciale privilegium martyrij, quod perfecte purget, & omni poena hominem liberet. Nec oportet, etiam si Deus speciale poenam vel permit- rat, vel infligat ad purgandum iustum, vt statim omnino purgationem perficiat, fatis enim est si in hac vita purgatio inchoetur, in purgatorio perficienda: sicut e contra accidit interdum in reprobis, qui hic puniri incipiunt, vt consummentur in inferno, iuxta illud Dent. d. 31. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vobis, ad inferni nouissima.*

SECTIO VII.

Vtrum ad nostram satisfactionem requiratur diuina promissio, & acceptatio.

1. *Opinio quorundam nouissimorum.* Hactenus explicuimus condiciones necessarias ad satisfactionem ex parte satisfaciētis, & opus ipsius, superest dicendum de conditione requisita ex parte Dei, quae no potest esse alia, nisi promissio, aut lex diuina. Quidam ergo auctores negant, hanc promissionem, vel legem esse necessariam: fundamentum esse potest, quia qui, quod debet, persoluit, nulla lege, vel promissione indiget, vt eius debitum remittatur: sed nos per nostras satisfactiones vere persoluimus: ergo non est necessaria promissio.

Fr. Suarez, tom. 4.

A. *fio, vt remittatur nobis.* Imo, si proprie loquamur, non est remissio, sed solutio: remissio enim gratuitum aliquid, solutio autem opus iustitiae indicat: & hoc ipsum includitur in ratione satisfactionis: est enim illa pars iustitiae, sicut poenitentiae. Confirmatur, quia satisfactio vt vera sit, debet in se habere valorem ad recompensandum debitum, sed si hunc habeat, ex natura sua soluit illud, & no indiget promissione, si autem non habeat, non erit satisfactio, licet addatur promissio, vel acceptatio, quia hae non dat valorem operi, sed supponit illum.

Alia opinio esse potest, totum negotium satisfactio- nis nostrae positum esse in diuina acceptatione, & benevolentia. Quam sententiam tenere videtur Durand. d. 15. qu. 5. ad 2. Ledesma. 2. p. qu. 13. Fundamentum esse potest: quia poena per se debita peccato, est poena alterius vitae, seu purgatorij, sed nulla poena huius vitae est cum ea comparabilis: ergo nec potest esse sufficiens ad satisfaciendum pro illa, nisi ex sola acceptatione diuina. Vnde Medina. tract. 5. q. 3. sub conditione, & distinctione inquit, si omnis poena purgatorij sit alterius rationis a poena huius vitae, non posse satisfactionem fieri nisi ex sola diuina acceptatione, si vero aliqua sit eiu- dem rationis, ad sustinendam, vel persoluendam illam in hac vita nullam esse necessariam legem, sed ex natura rei fieri per solam passionem talis poenae.

C. Hae quaestio ex principiis supra indicatis, & latius tractatis in 1. tom. 3. p. Dispu. 4. & in Disputatione speciali de iustitia Dei, atque etiam ex principiis de merito nostro apud Deum, definienda est: quia licet satisfactio, & meritum diuersa sint, tamen vtrique commune est, vt secundum quandam equalitatem, & iuxta leges iustitiae fiant, & in hoc etiam conueniunt, quod sicut merito proprio infallibiliter respodet praemium, nec potest denegari sine iniustitia, ita satisfactio respodet infallibiliter condonatio poenae, vnde posita propria satisfactio de iustitia, impossibile est hominem pro illo peccato iuste puniri, pro quo satisfecit. Quare in nostra satisfactioe duo considerari possunt, vnum est, quod in se habeat valorem aliquem, & proportionem ad satisfaciendum, alterum est quod infallibiliter, & ex iustitia Deus condonet purgatorij poenam, propter hanc satisfactio- nem.

D. Dico primo: Opera, quibus Deo satisfacimus pro peccatis, prout a gratia procedunt, & gratia informantur, proportionem habent, & conditionem aliquam ad satisfaciendum, seclusa extrinseca promissione Dei. Hanc conclusionem probant rationes factae in prima sententia, quia alias reuera non posset saluari vera, & propria ratio satisfactionis: nam, cu promissio extrinseca sit, non dat operi proportio- nem, si autem non est proportio, nulla est ratio iustitiae, & nulla est satisfactio, sicut si non esset proportio inter nostra merita, & praemia, non essent vera merita, & si non esset proportio inter precium, & id quod emitur, non esset vera emptio. Hae autem proportio (quod Medina non satis animaduertit) no est pensanda ex physica aequalitate poenarum, sicut neque in merito consideratur ex physica aequalitate actuum. Pensanda ergo est: tum ex conditione ipsius actus: tum maxime ex dignitate, & statu personae operantis, operatio enim ipsa est poenalis, & ex hac parte aliquam proportionem habet, & quia est a persona Deo grata, habet valorem moralem, vt possit esse proportionatum precium ad redimendam aliam poenam: & quia est opus viatoris, qui maiori quam voluntate, & libertate seipsum punit, seu poenam in satisfactioe offert, priusquam veluti tradatur in carcerem, vt ibi puniatur, ideo, his omnibus pensatis, est in tali opere proportio, & valor sufficiens, vt sit aptum precium ad redimendam talem poenam.

2. Dico tamen secundo, Vt hae nostrae opera infallibiliter sint satisfactoria, & remissiuu poenaru alte-

2. *Alia opinio affirm. Dur. Ledesma.*

Medin.

3. *Affer. 2.*

4. *Afferio 2.*

T F IUS